tenetur homo facere, quod melius eſt, ſed ſolùm adhibere omne medium neceſſarium,& facere,quod debitum eſt. Neque eſt mediũ neceſſarium neceſſitate præcepti, non enim tale præceptum invenitur in Scriptura, Apoſtolus enim hoc Sacramentùm promulgans nullum verbum appoſuit,vim pręcipiendi habens, ſed ſimpliciter dixit; *Infirmatur qui in vobis, inducat Præsbyteros &c.* Undè non eſt locutus pręcipiendo,aut promulgando Chriſti præceptum, ſed tantùm docendo,& admonendo,ut Patres exponũt. Nec tale pręceptum invenitur in Conciliis,nam Colonienſe,& Senonenſe non loquuntur de præcepto ſuſcipiendi, ſed adminiſtrandi hoc Sacramentum, nam ſuperiores, & Paſtores animarum ex vi ſui officii utique obligantur petentibus illud adminiſtrare, ut patebit q. ſeq. compatat enim ibi præſertim Concilium Senonenſe præceptum ungendi infirmos præcepto, quo Apoſtoli ex inſtituto Chriſti ad prædicandum miſſi infirmos ungebant Marci 6. illud autem non obligabat infirmos,ut Unctionem ſuſciperēt,ſed Apoſtolos, ut infirmis illam adminiſtrarent,atque ideò neque hoc obligat infirmos ſed Paſtores. Nec Conc. Trid. aliquid ejuſmodi inſinuavit nam ſeſſ. 7,de ſacramentis in genere ſolùm dixit, non omnia eſſe ſingulis ad ſalutem neceſſaria,in ſeſſ. verò 15,agens de hoc ſacramento tantùm dixit, non poſſe à Chriſtianis ſine peccato contemni, & quando damnat eos,qui dicunt, hanc Unctionem non continere mandatũ Dei, accipit ibi mandatum Dei pro inſtitutione ipſa Chriſti, ſivè pro juſſione,ut extaret in Eccleſia hoc ſacramentum,ut animarum Paſtores illud haberent paratum ad miniſtrandum.

121 Neque etiam talis obligatio rectè deducitur ex cõſuetudine Eccleſiæ & Fidelium, nam tempore Interdicti Sacramenta Pęnitentiæ,& Euchariſtiæ miniſtrantur proximè morituris,non tamen cõcedit Eccleſiæ, extremam Unctionem adminiſtrari poſſe,ut ſuprà dictum eſt, ergo ex conſuetudine Eccleſiæ non ſufficienter deducitur talis obligatio præcepti; Tùm quia non quicquid ſolitum, & cõſuetum eſt,eo ipſo obligationem inducit, vel ſub obligatione cadit,ſed ſolùm quando introducitur in populo, & inoleſcit obligatio animo,& intentione obligandi,ut dicitur in tractatu de legibus,in hac autem re hactenus non adfuit talis animus, & intentio Eccleſiæ ſed ſola devotio, & pia voluntas ob majorem ęgrotantiũ utilitatem. Nec tandem ſufficienter deducitur talis obligatio ex motivo præcepti Charitatis erga ſeipſum,nam infirmus ſuã reddit ſalutem certam,ipſique ſufficienter conſulit, ſi ſacramentum Pœnitentiæ,& Euchariſtiæ ſuſceperit; undè quamvis ſacramentũ extremæ Unctionis ſit maximè utile,& optimum ſit conſilium illud ſuſcipere in mortis articulo, nihilominus ſub præcepto nõ obligatur,quia ut dictũ eſt, nõ tenetur homo facere,quod melius eſt etiã ex præcepto charitatis extrà ſeipſum,ſed tenetur adhibere ſolùm omne medium neceſſarium,& facere,quòd eſt debitum. Et hæc vèra ſunt per ſe loquẽdo,ſpectata nimirùm ſola inſtitutione,& natura hujus ſacramenti,nam aliundè, & per accidẽs poteſt incurri peccatum mortale in ejus omiſſione, ut in ſecunda parte aſſertionis dictum eſt,nam ratione ſcandali,vel contemptus poſſet infirmus graviter peccare, hoc ſacram. omittendo, ut fusè declarat Averſa *q. cit. ſec.* 9.cum Suar. *diſ.* 44.*ſec.* 1.ſecluſo verò contemptu,& ſcandalo ſi nulla ſubſit cauſa omittẽdi,peccabit venialiter,ut ſẽtiũt Conic. Laym. & Amicus,non autem mortaliter. Atq; ita concludendũ eſt, nullam eſſe hujus ſacramẽti recipiendi obligationem, ſi ſecundum ſe præcisè conſideretur,& ex vi ſuæ inſtitutionis,licèt enim utiliſſimum ſit, & ſaluberrimum,nullam tamen nec medii,nec præcepti neceſſitatem fert ſecum; fieri tamen poteſt, ut interdum infirmus mortaliter peccet illud omittendo, ſi v.g.ex cõtemptu omitteret vel quamvis abſit contemptus, ſi ex neglectu illus ſcandalũ ſequatur, aut ipſe infirmus probabile aliquod periculũ ſalutis incurrat, quia nullum aliud Sacram.ſuſcipere poteſt,quo ſe morti præparet,

122 Sed quamvis hęc ſit communis, ut dicebam, receptiſſima opinio in omni Schola, adhuc tamen Poncius ex noſtris *diſp.* 47.*q.* 4. in fine tenet, infirmum eſſe obligatum ſub mortali, ut quando cognoſcit,ſe in periculoſo morbo,curet,quantùm in ſe eſt, hoc ſacramentum ſibi adminiſtrari; Ratio ejus eſt, quia utilitas maxima ſpiritualis hujus Sacramenti in ordine ad ſalutem animæ, ac etiam ſanitatis corporalis videtur, ex terminis exigere, quòd qui ipſum negligeret in ordine ad hoc applicare in caſu, in quo non ſunt alia media per ſe inſtituta ad ſupplendam illam utilitatem, peccaret mortaliter, ſed in gravi infirmitate non eſt aliud medium à Deo per ſe inſtitutum ad dandam ſanitatem, ſi expediat, neque ad alleviandum infirmum,hoc eſt,ipſum confortare,& adiuvare efficaciter contrà tentationes Diaboli,quæ ſanè tentationes, niſi Deus ſua gratia nobis ſubveniret ſine dubio nos impedirent.,

Confir. quia quamvis Deus poſſit extraordinariè efficere, ut ſine cultura terra produceret frumentum neceſſarium ad reſtaurationem temporalis vitæ, tamen ſi quis indigens illa ſuſtentatione, & obligatus ipſam ſibi procurare omitteret media ordinaria ad colendam terram, peccaret mortaliter, ergo qui omitteret,medium ordinatum hujus ſacramenti, cùm poſſit commodè illud applicare, peccat mortaliter.

123 Reſp. vix moraliter dari poſſe caſum,quo infirmus defectu aliorum mediorum ad hujus ſacramenti ſuſceptionem obligetur quia cùm hoc ſacramentum à Sacerdote neceſſariò miniſtrari debeat, poterit infirmus loco hujus ſacramenti ſuſcipere ſacramentũ pęnitentiæ,vi cujus directè abſolveretur à peccatis confeſſis, & indirectè ab oblitis,quod ſufficit ad animæ ſalutem, ac etiam ad eam confortandam contrà Diaboli tentationes, fortior enim evadit eo ipſo,quòd à peccatorum onere alleviatur,& quamvis ad hunc finẽ ſit præcipuè hoc ſacramentum inſtitutum, nulla tamen obligatio extat ad eum ſuſcipiendum, cùm non ſit neceſſarium nec neceſſitate medii, nec neceſſitate præcepti, ut patet ex dictis, & ſint alia media ad hos fines conſequendos inſtituta, nempè Confeſſio Contritio,& Euchariſtia cum attritione peccati invincibiliter ignorati ſuſcepta; Solus poſſet fingi caſus,ut notant Suarez, Averſa, Amicus,& alii quo ſacerdos, vel nollet,vel non poſſet, quia abſolutionem ignoraret, infirmi Confeſſionem excipere,vellet autẽ, & poſſet ſacramentum Unctionis miniſtrare,in hoc enim caſu ſatis probabile eſt,quòd ſub mortali teneretur hoc ſacramentum ſuſcipere quia cùm nequeat eſſe certus de vera Cõtritione, & ex ſuppoſitione non ſuppetat ipſi aliud Sacramentum ſuſcipiendum,tenetur adhibere certius medium ad ſuam juſtificationem, hoc autem in eo caſu aliud eſſe non poſſet, quàm hoc ſacramentum,ſuppoſito quòd nec etiam Euchariſtiam ſumere poſſit, quod inveniens ſubjectum attritum faceret illud contritum.

Ad Confir. negatur paritas, & cõſequentia,quia ad ſalutem animæ conſequendam, & peccata remittenda in articulo mortis præter hoc ſacramentum alia quoque media inſtituta, nempè Confeſſio,Contritio,& Euchariſtia cum attritione peccati invincibiliter ignorati ſuſcepta, at ad ſuſtentationem temporalis vitæ cum frumento, & pane neceſſaria eſt terræ cultura neceſſitate medii juxtà illud Geneſis, *in ſudore vultus tui veſceris pane &c.*

125 Quoad alteram quæſtionis partem de modo ſuſcipiendi hoc ſacramentum,& diſpoſitione ad illud requiſita,eſt etiam communis ſententia,& Eccleſiæ praxis, infirmum ſui compotem ſacramẽtum Pęnitentię, & Euchariſtiæ recipere debere, priuſquam extrema Unctio ſibi conferatur,ſi tempus,& ipſius infirmi conditio,ſeù diſpoſitio id permittat, ita declarat Rituale Romanum, & etiam Catechiſmus Romanus, qui vocat hanc Eccleſiæ conſuetudinem perpetuam, ac proindè ait,eſſe ſecundam, quod obligationem denotat, *ſecunda eſt* inquit nu. 12.*Catholicæ Eccleſiæ perpetua conſuetudo, ut antè extremam Unctionem Pænitentiæ, & Euchariſtiæ ſacramentum adminiſtretur* Et hoc etiam indicavit Scotus diſt. 23. cit. ſub B. dùm ait,hominem pęnitentem eſſe hujus Sacramenti capacem,&rationem reddit,quia nullus eſt illius capax,niſi ſit in gratia,iſtud enim ſacramentum non eſt remedium acquirendi primã gratiam, nam duo tantùm ſunt ſacramenta ad hoc per ſe inſtituta, ſcilicet,Baptiſmus,& Pęnitentia,quę proindè dicuntur ſacramenta mortuorum, hoc autem eſt de numero eorum, quæ vivis applicantur,ac proindè illud ſuſcipiens ſupponitur eſſe in gratia per ſacramentum Pœnitentiæ præcedens.

125 Quæres, an facta tali pręparatione pro receptione hujus ſacramenti, neceſſaria ſit adhuc ulterior diſpoſitio poſitiva per aliquem virtutis actum,vel ſufficiat ſola diſpoſitio negativa,ideſt,nõ ponere obicem. Brancatus noſter *d.* 40.*a.* 15. putat,ſolãd iſpoſitionem negativam non ſufficere,ut dignè hoc ſacramentum ſuſcipiatur,ſed omninò neceſſariam eſſe diſpoſitionem aliquam poſitivam per aliquem virtutis actum,vel charitatis in Deum,vel pęnitentiæ virtutis, aut Religionis circà ipſum ſacramentum, quod probat præſertim ex Rituali Romano cap.de extrema Unctione,ubi pręſcribit hoc, ſacramentum miniſtrari debere infirmo cum integris ſenſibus exiſtenti,hoc autem neceſſarium non eſſet, ſi ſufficeret,ut infirmus merè negativè ſe haberet, & ideò inquit, *eo tempore miniſtrari debere,in quo adhuc in illis integra mens,& ratio viget,ut ad uberiorem ſacramenti gratiam percipiendam ipſi etiam ſuum fidem, ac piam animi voluntatem conferre.*

Verùm facta ea præparatione pro hujus ſacramenti perceptione neceſſariam non eſſe ulteriorem diſpoſitionem poſitivam ſed ſufficere negativam, ideſt, non ponere obicem, jam ſuprà dictum eſt q. 4. art. 1. n. 70. quod etiam expreſsè fatetur, Brancatus ipſe in fine ejuſdem articuli,cùm enim ſibi objeciſſet, debere Eccleſiam miniſtrare ſacramentũ hoc moribundis ex improviſo,etiamſi ſciat, eos per plures menſes præcedentes caruiſſe ſacramento pęnitentię,reſpondet,quòd tales moribundi vel dederunt ſigna contritionis,vel ſigna cõtraria,vel merè negativè ſe habuerunt,ſi primũ ſufficienter ſunt diſpoſiti,quia Sacerdos accedens ad ungendum,primò eos abſolvit in vi præcedentium ſignorum, deindè ungit, ſi contraria adfuerint ſigna, non confert ſacramentum,ſi tandem negativè ſe habuit circa hos actus externos,præſumit Eccleſia,quòd tales nõ habeant mortalis,vel internam habeant contritionem,& charitatem erga Deum,& ideò eis permittit,dari hoc ſacramentum, ut ſtatuit Rituale Romanum dicens, quòd *ſi infirmi, dùm ſana mente, & integris ſenſibus eſſent,dederint ſigna contritionis,etiamſi deindè loquelam amiſerint,vel mentes effecti ſunt,& delirent,aut non ſentiãt nihilominùs præbeatur*; Et poſteà *art. ſeq.* 16.§.2. loquens de primario hujus ſacram. effectu,qui eſt remiſſio venialiũ,ait,hunc effectũ cauſari ab hoc Sacramento ex opere operato,dummodò ſuſcipiens nõ ponat

ponat obicem per complacentiam, quod probat, quia niſi ita cauſaret,parvam,aut nullam quoad hoc utilitatem infirmo adduceret, deberet enim id præſtare ex opere operantis;hoc autem maximum eſſet infirmo incommodum,quia actus multos deberet exequi cum magno labore,deberet enim conari ad reminiſcẽdũ illa, deindè ea deteſtari. Ita Branc. verbatim *loc. cit.* quibus clarè fatetur, dummodò ſuſcipiens ſit in ſtatu gratiæ, ad validitatem hujus ſacramenti, & effectum ejus conſequendum non eſſe neceſſariam diſpoſitiotionem poſitivam, ſed ſufficere negativam, hoc eſt, non ponere obicem;Dùm autem ait, Rituale Romanum debere hoc ſacramentum miniſtrari infirmo, quando eſt mentis compos, & ratio viget; hoc ſolùm hortatur pro majori reverentia ſacramenti,& ad uberiorem ejus gratiam percipiendam ex opere operantis,ut patet ex ejus verbis,non autem ad ſimpliciter effectum ejus conſequendum,nam ſine hujuſmodi actibus infirmi adhuc haberetur per hoc ſolùm, quòd non ponat obicem; undè & infrà permittit, etiam amentibus, & delirantibus conferri poſſe, ſi anteà dùm erant mentis compotes, illud petierunt, vel ſigna contritionis dederunt.

126 Adhuc tamen verum eſt,quòd ſi infirmus extrema vi morbi oppreſſus confiteri non poſſit, debet actum contritionis,vel ſaltem attritionis elicere,ut ſacramenti hujus virtute peccatorum remiſſioné percipiat; ſic enim adhuc in iſto caſu neceſſitatis cẽſetur ſufficienter diſpoſitus,quia ſi veram habeat cõtritionem, eo ipſo peccatum deletur, ſi verò habeat attritionem, adhuc valdè probabile eſt, ut inquiunt Suarez, Navar. Iſambertus, Ponc. Abellius, & alii plures, quòd hoc ipſum ſacramentum, ut eſt conſumativum pœnitentiæ juxtà phraſim Patrum, & Concil. poſſit per accidens tollere peccata illius,& conſequenter illa attritio erit ſufficiens diſpoſitio ad ipſius ſuſceptionem; quamvis enim hoc ſit proprium, & ſingulare privilegium Baptiſmi, & Pęnitentiæ, quæ proindè dicuntur ſacramenta mortuorum, ac proindè eis ſolùm per ſe,& ex vi eorum inſtitutionis convenit; adhuc tamen valdè conſentaneum eſt divinæ pietati, ut hoc etiam privilegium ſaltem per accidens huic ſacramento convenire poſſit ratione ſummæ indigentiæ, quam habent infirmi in illo extremo agone, in quo maximè illis Deus aſſiſtit juxtà illud Pſalmi; *Domini Domini exitus mortis*. Quòd ſi contendas cum aliis, ſolam attritionem non ſufficere in propoſito caſu pro ſufficienti diſpoſitione ad hoc ſacramentum recipiendũ,ſed eſſe debere, vel veram contritionem, vel ſaltem talem putatã, quãvis juxtà hanc ſententiam infirmus fructus ſacramenti nõ perciperet, & à parte rei inutiliter ſacramentum eſſet ei collatum; adhuc tamen Miniſter non inutiliter, nec malè ipſum adminiſtraret, quia probabilter putat, illum eſſe benè, & ſufficienter diſpoſitum,

QUÆSTIO SEPTIMA,

De Miniſtro hujus Sacramenti idoneo..

127 DUę tantùm perſonæ per ſe interveniunt in hoc Sacramento, nempè ſuſcipiens, & miniſtrans, undè ad illas tantùm pertinere poſſunt obligationes, ſeù præcepta, ſi quæ ſunt in hoc ſacramento conjuncta; De ſuſcipiente, & ejus obligationes ſatis dictum eſt *quæſt. præc.* reſtat igitur, ut pro complemento hujus Diſputationis in hac quæſtione ultima agamus de Miniſtro,& ejus obligationibus in hoc ſacramento adminiſtrando, quod duobus ſequentibus articulis breviter expediemus,

ARTICULUS PRIMUS.

Quis poſſit hoc Sacramentum miniſtrare.

PRo reſolutione quæſtionis quoad hanc partem; primò certum eſt,& tanquam de fide tenendum,Miniſtrum hujus ſacramenti idoneum, qui unctionem perficiat, & verba deprecationis proferat, eſſe ſolum Presbyterum, hoc eſt, Sacerdotem ritè ordinatum, & quidem non ſolùm de obligatione præcepti, ſed maximè etiam de neceſſitate, & valore ſacramenti, adeò quòd ſi Laicus attentet, nihil faciet, ſicut ſi non Sacerdos attentet Euchariſtiam conficere, nihil faciet; Et ita contrà Hæreticos hujus temporis definitum fuit in Conc. Flor. & Trid. *ſeſſ.* 14. *de Extrema unctione cap.* 3. *& can.*4. idque clarè deducitur ex verbis illis Jacobi; *Inducat præsbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes cum oleo*, quibus verbis eiſdem Presbyteris tribuitur oratio, & unctio ſimul; & per Presbyteros hoc loco non intelligi ætate Seniores, ut Hæretici contendunt, ſed officio,& dignitate,declaravit idem Conc. Trid. *cap.* 3.*cit.* dicẽs quòd *eo nomine non ætate ſeniores,aut primiores in populo intelligẽdi veniunt, ſed aut Epiſcopi, aut Sacerdotes ab iis ritè ordinati per impoſitionem manuum Præsbyteri.* Et hoc totum jam pridẽ docuit Scot. noſter 4. d. 23. ſub lit. D. dicens,Sacerdotem eſſe hujus Sacramenti Miniſtrum idoneum,non ſolùm, qui licitè exerceat, ſed qui ſolus miniſtret, itaquòd ſi alius attentaret,nihil faceret,& hoc ait, exprimi à Jacobo per illud; *Inducat Præsbyteros*. Et ratio conguitatis ſic etiam poſtulabat,cùm enim hoc Sacramentum ſit pęnitentię conſumativum,ut Patres, & Concilia loquuntur,hæc enim unctio ſubnectitur ad finalem, & pleniorem peccatorum remiſſionem; convenientiſſimè fuit à Chriſto inſtitutum, ut ejuſdem Miniſtri officium ſit dicere; *Indulgeat tibi Dominus quicquid deliquiſti*, cujus fuerat pronunciare, *Abſolvo te à peccatis*; & cùm Sacerdotalis ordinatio duas habeat partes, unam, qua præbetur poteſtas in corpus Chriſti verum, hoc eſt, poteſtas ad conficiendum Euchariſtiæ ſacramentum;alteram ſuprà corpus Chriſti miſticum, hoc eſt, ad remittenda peccata pęnitentium, in hac ſecunda parte ſimul continetur poteſtas ad miniſterium Unctionis; Ex quo tandem ſequitur, nulla neceſſitate, aut diſpenſatione, deficiente Sacerdote, poſſe hoc ſacramentum miniſtrari ab alio Clerico, vel etiam Laico, ſicuti conſtat de Baptiſmo, ut opinatus eſt Uvaldenſis *tom.* 2.*de ſacramentis cap.* 163.

128 Sed obiici ſolet Primò,quòd Innocẽtius Primus in Epiſtola ad Decentium Epiſcopum Eugubinum ait, non ſolùm Sacerdotibus, ſed omnibus Chriſtianis licitum eſſe uti hac unctione in ſui, ac ſuorum neceſſitate, & ſunt ejus formalia verba; ergo non eſt ſolius Sacerdotis hoc ſacramentum miniſtrare.

Confirmatur, quia Baptiſmi quilibet homo eſt idoneus Miniſter ob ejus ſummam neceſſitatem; ergo idem erit de hoc ſacramento dicendum ob ſummam ejus indigentiam in extremo vitæ ad ſuperandas morbi moleſtias,& Dæmonis tentationes, & eſt divinæ pietati valdè conſentaneum, ut ita hoc ſacramentum inſtituerit. Demum quia Apoſtoli ungebant Marci 6. & tunc Sacerdotes non erant; ergo Laici quoque potuerũt hoc ſacramentum miniſtrare ſaltem in caſu neceſſitatis; Conſequentia probatur, quia tunc inſtitutum fuit hoc ſacramentum, vel ſaltem inſinuatum,ut ait Concilium Trid. atque ita tunc inſinuatus Miniſter.

Reſp. aliqui, Innocentium in præcit. Epiſtola non loqui de oleo ab Epiſcopo conſecrato, quod eſt hujus Sacramenti materia, ſed de aliquo alio oleo,quo tanquam ſacramantali aliqui infirmi utebantur,eo modo,quo fideles utũtur aqua benedicta; Sed quia hæc ſolutio textui non eſt ſatis accomodata, in quo ſit expreſſa mentio de oleo ab Epiſcopo cõſecrato, non eſt recedendum à cõmuni ſolutione,Pontificẽ ibi non loqui de activa adminiſtratione hujusSacram. ſed ſolùm de uſu paſſivo,atque ideò declarat,omnes Chriſtianos,nõ ſolùm Sacerdotes,ſed etiam Laicos poſſe, & debere hoc ſacramentũ recipere, quæ ſolutio ex ipſo contextu deducitur, in quo de hoc uſu paſſivo immediatè antè locutus fuerat Pontifex.

129 Ad Confirm. negatur conſequentia,cùm ſit manifeſta diſparitas de baptiſmo, & hoc Sacramento, nam convenienter quidem ita inſtitutum fuit de baptiſmo ob ejus præciſam neceſſitatem; at hoc non eſt ſacramentum neceſſitatis, ſed tantùm utilitatis, quia poteſt aliquis in extremo vitæ per ſacramentum pęnitentiæ, & Euchariſtiæ, ac etiam per contritionem ſufficienter ſanctificari,& ſalvari, ut dictum eſt *q. præc, ar.* 2. *n.* 123. Ad ultimum patet ex dictis *q.* 1.*hujus Diſp. ar.* 2.*n.* 14. unctionem illam Marci 6. fuiſſe curativam morborum corporis, non verò Sacramentalem.

Secundò certum eſt, quemlibet Sacerdotem poſſe, validè hoc ſacramentum adminiſtrare; Ita Doctoris cõmuniter, & clarè deducitur ex verbis Apoſtol. in quibus nulla ſit exceptio,ſed abſolutè dicitur, *Inducat Præsbyteros*, & ratio etiam ſuadet; valere hoc ſacra. à quocunque Sacerdote miniſtratum, quia omnis Sacerdos habet poteſtatem ordinis, quo ſola hic requiritur ad valorem; Ex quo ſequitur, validum eſſe ſacramentum extremæ unctionis, etiam à Sacerdote excõmunicato collatum, & quavis cenſura ligato, & imo & in Eccleſia degradato, ſicut valeret etiam Euchariſtiæ conſecratio, quia nempè character ordinis nunquam deletur, undè quando dicitur, ſoli Sacerdoti, & cuicunque competere hoc ſacramentum infirmis conferre, intelligitur ratione poteſtatis ordinis, nam loquẽdo de poteſtate juriſdictionis non licet omnibus Sacerdotibus indifferenter hoc Sacramentum conferre, ut poſteà dicemus,

Dices; iſtud ſacramentum eſt veluti conſumativum Sacramenti Pęnitentiæ; ergo debet adminiſtrari à Sacerdote eo modo, quo ſacramentum Pœnitentiæ; at ad hoc validè miniſtrandum non ſufficit poteſtas ordinis, ſed requiritur etiam poteſtas Juriſdictionis; ergo idem pariter de Sacramento extremæ unctionis dicendum erit.

Reſp. negando paritatem, quia cùm pęnitentiæ ſacramentum per modum judicii exerceatur, exigit neceſſariò neceſſitate ſacramenti juriſdictionem in Sacerdote, alioquin non valeret, quoniam abſolutio datur in eo foro,per modum judicialis ſententiæ, quæ certè non valet, niſi à legitimo Judice proferatur; at verò ſacramentum extremæ unctionis non eſt per modum judicii, ſed potiùs medicinæ, atque adeò quãvis exigat juriſdictionem in Sacerdote, ut licitè miniſtretur, ut ſtatim dicemus, nihilominus validum eſſet ſacramentum ratione ſolius poteſtatis ordinis, quia miniſteria, quæ exigunt ſolam poteſtatem ordinis, ſeù characteris, & non juriſdictionis, à quolibet habente Sacerdotium poſſunt validè conferri, ut patet de Euchariſtia.

130 Tertiò, etſi validè hoc ſacramentum à quocunque Sacerdote adminiſtrari poſſit, non tamen licitè, niſi vel in extrema neceſſitate,vel de proprii Paſtoris licentia ſaltem tacita; quia hoc ſpectat ad debitũ regiminis modum, & ordinatum exercitum poteſtatis ordi-

ordinis; ſicut ſacramentum ipſum Baptiſmi, quod eſt adeò neceſſariũ, poteſtque validè à quolibet miniſtrari etiam Laico, tamen ſecluſo periculo, & caſu neceſſitatis, non niſi à proprio Parocho, vel Paſtore licitè conferri poteſt, vel committi. Quapropter in Clem. I. de Privilegiis ipſo facto excõmunicantur Religioſi, qui præſumpſerint abſque Parochi licentia in articulo mortis, tàm hoc, quàm Euchariſtię ſacramentum miniſtrare. Ubi tamen cõmuniter notát Doct. ut Val. Suar. Amic. Averſ. Bon. Navar. & ex noſtris Faber, & Hirib. & plures alii hanc excõmunicationẽ à Religioſis, nõ incurri hoc ſacramentũm adminiſtrantibus cum ratihabitione Parochi, vel quando infirmus eſt in mortis articulo, nec Parochus adeſt, nec poteſt tàm citò vocari; quia tunc præſumitur adeſſe conſenſus, & licentia Epiſcopi, vel Sũmi Pontificis, cùm non ſit credibile, Eccleſiam velle infirmos privare tanto ſacramento, & adeò utili ipſo mortis articulo; Imò dicunt, quòd ſi conſtet, Parochum injuſtè hãc licentiam negare, poſſe quemcumque Sacerdotem Sacram. hoc in extremis conſtituto miniſtrare, quemadmodum & ſacramentum Euchariſtiæ; quoniam in eo caſu Eccleſia non cenſetur cum tanto damno Infirmi velle Sacerdotem excommunicationis vinculo innodare; Undè communiter reiicitur opinio Silveſtri, & D. Antonini *3.p.tit.24.c.34.* ubi non concedunt, Religioſis ob talem neceſſitatem, & pręſumptam licentiam hoc ſacramentũ miniſtrare poſſe, ſtante illa ſpeciali prohibitione, & cenſura eos percutiente in Clementina citata; reiicitur, inquam, quia rationabiliter putari non poteſt, Pontificem voluiſſe pro tali caſu loqui, ideò Religioſi etiam tunc poterunt abſque excommunicationis periculo, vel peccati ſcrupulo infirmo in extremis conſtituto hoc ſacramentum miniſtrare, quia in tali caſu neceſſitatis non præſumit Religioſus inſenſus Clementinæ, ideſt, non temerè ſibi tale munus uſurpat, ſed prudenter, & ſecundum leges charitatis ergà proximum. Et tandem etiam rectè notat Amicus, ad hoc ſacramentum licitè miniſtrandum non requiri, ut Sacerdos ſit expoſitus, & ad confeſſiones audiendas juxtà Tridentini decretum approbatus, cùm hoc nullam talem requirat in adminiſtrante juriſdictionem, eo quòd non ſit ſacramentum judiciale, uti eſt ſacramentum Pœnitentiæ.

131 Quartò, nequit hoc ſacramentum validè confici à pluribus Sacerdotibus, itaut unus ſolam ſubminiſtret materiam ungendo, altero formam tantùm proferente. Hæc etiam eſt communis inter Doctores, & clarè deducitur ex ipſis Apoſtoli verbis, *Orent ſuper eum ungentes eum oleo*, quibus ſignificat, eundem eſſe debere, qui materiam miniſtrat ungendo, & formam profert orando.

Confirm. ex paritate Baptiſmi, qui eſt longè majoris neceſſitatis ad ſalutem Viatoris, quàm extrema unctio, & nihilominùs, ſi infãs ab uno abluatur, & ab alio forma proferatur, non conficitur ſacramentum; ergo à fortiori in hoc ſacramento, ſi unus infirmum ungat, & alter formam proferat, ſacramentum erit nullum; Nec refert, quòd forma extremæ unctionis ſit deprecativa, baptiſmi verò indicativa, quæ proindè expreſsè referat eundem, qui lavat, & qui verba profert; nam etiamſi forma extremæ unctionis ſit depræcativa, adhuc tamen ex communi modo loquendi refert eundem ungentem, & verba proferentem. Tandem hoc etiam ratio ipſa ſuadet, quoniam ſacramenta, quæ in uſu conſiſtunt, habent pro materia proxima actionem ipſam Miniſtri, quæ materia determinari debet ab per verba ipſomet Miniſtro prolata, ut ex utriſque unum conſtituatur ſacramentum; ergo quodlibet iſtorum ſacramentorum ex vi inſtitutionis ſuæ neceſſariò poſtulat, ut ejuſdem Miniſtri, & perſonæ ſint actio, & verba.

132 Sed Dices, in ſacramento pęnitentiæ Miniſter ſolam formam adhibet, pęnitens verò materiam; & in ſacramento Matrimonii, & Euchariſtiæ Miniſter non facit utrumque ergo idem dici poteſt de extrema unctione.

Reſp. non eſſe eandem rationem de pęnitentiæ ſacramento, & extremæ unctionis, quia pęnitentia, ut ſuprà dictum eſt, eſt ſacramentum judiciale, judicium autem Judicem exigit, & reum confeſſum, vel convictum, atque ideò confeſſio facta à reo, hoc eſt, à pęnitente, eſt eſſentialiter neceſſaria ad ſacramentum pęnitentiæ non ſic eſt de ablutione, unctione, & ordinatione, in quibus Miniſter formam adhibet, & materiam. Matrimonio autem poteſt negari, Miniſtrum non facere utrumque, nam ſi verum eſt, illius ſacramenti Miniſtrum eſſe conjuges, ut diſp. ſequenti dicemus, argumentum eſt pro nobis, quia quilibet eorum profert verba, ut formam, & mutuò corpora tradunt, tanquam materiam. In Euchariſtia tandem eſt manifeſta diſparitas, quia eſt ſacramẽtum permanens; non enim conſiſtit in uſu, & actione trãſeunte, ſed in ſpeciebus conſecratis permanentibus; Quòd ſi dicas conſecrationem ſaltem in uſu conſiſtere, cujus tamen materia ab alio parari poteſt; Hoc minimè urget, quia adhuc adeſt manifeſta diſparitas, cùm enim in ea actione materia proxima non requiratur, ſed ſufficiat remota, huic à quocunque ſit parata, applicari poteſt forma à Miniſtro, & fieri ſacramentum; Non ſic autem eſt de ſacramentis actionem tranſeuntem requirentibus, ut materiam proximam, actio enim illa ab eodem fieri debet, à quo profertur forma.

133 Quintò poteſt hoc ſacramentum à pluribus Sacerdotibus validè confici in hoc ſenſu, ut, ſcilicet, unus, duas, vel tres efficiat unctiones, & totidem proferat formas, & alter alias cõpleat eodem modo uſque ad quartam, & hoc fieri poteſt, vel ſimul, vel ſucceſſivè ita nimirum, ut dum unus unum ſenſum ungit, ſuamque partialem formam enunciat, alter alterum ſenſum inungat eodem tempore, & ſuam proferat partialem formam, vel ita ut dùm unus unum ſenſum ungit, protulitque ſuam partialem formam, alter non quidem ſimul, ſed ſucceſſivè alium ſenſum ungat, aliamque proferat partialem formam. Hæc etiam aſſertio communis eſt inter Scholaſticos, & Summiſtas, quam etiam tenent ex noſtris Hiribarnes, Faber, Brãc. & alii paſſim, ſatiſque expreſsè inſinuatur ex verbis Apoſtoli, dùm ait in plurali, inducendos eſſe Eccl. Presbyteros, qui orent, & ungant infirmum; Et facilè defendi poteſt poſito, quòd ſingulæ unctiones ſint per ſe ſacramentum eſſentialiter completum, & ſuum partialem conferant effectum, ut dictum eſt ſuprà *q. 5. ar. 2. n. 96.* quia ſimile videmus in Euchariſtia, & Ordine; etenim ſi Sacerdos, qui hoſtiam conſecravit, deficiat, ut non poſſit vinum conſecrare, poſſet alter Sacerdos in ejus defectu calicem duntaxat conſecrare, non conſecrata alia hoſtia, imò poſſet, dùm unus hoſtiam conſecrat, validè alter hoſtiam conſecrare; quo caſu unum integrum Euchariſtiæ ſacramentum à duobus efficeretur; Et in ſacramento Ordinis ſi Epiſcopus, qui Sacerdotem conſecravit, deficiat, antequam eidem conferat poteſtatem remittendi peccata, poſſet, & deberet alter Epiſcous hujuſmodi poteſtatem conferre, non repetendo, quod Epiſcopus præcedens fecit, quia ſupponitur, validè ab eo collatam fuiſſe poteſtatem in corpus Chriſti verum; Idem igitur judicium ferendum eſt in propoſito, ſi à duobus Presbyteris fierent unctiones, vel ſimul, vel ſucceſſivè, ab uno v. g. tres, & ab alio duæ, nam in eo caſu mox ut tres præcedentes cum duabus ſequentibus conjunguntur, unum integrum ſacramentum conſtituere dicentur & adæquatum hujus ſacramenti effectum conſequenter in non ponente obicem, qui ex ſingulis partialibus effectibus unjuſcujuſque unctionis integraretur; Et quando juxtà aliam ſententiam nullus effectus gratiæ ſacramentalis eſſet per tres præcedentes unctiones collatus, ſed ſolùm in fine quintę, adhuc tamen per tres illas unctiones eſſet ſacramentum inchoatum per propriam partialem materiã & formam, & hoc ſufficit, ne teneatur ſecundus Sacerdos unctiones à priori facta repetere, ſed ſolùm alias duas proſequi, niſi fortè tres illæ unctiones præcedentes completæ non fuiſſent per omnia verba formæ, nam in tali caſu unctiones illæ eſſent repetendæ cum ſuis formis partialibus ſingulis correſpondentibus.

134 Sed obiicies, quòd ſi plures poſſunt ſic extremam unctionem miniſtrare, ſequitur, quod vel nihil facerent, vel plura ſacramenta facerent, quorum neutrum eſt admittendum, quia fruſtrà applicatur pluries idem ſacramentum, vel fruſtra applicaretur ſenſibile ſignum, ſi nihil operaretur; ſequela majoris, vel aſſumpti probatur de primo, nam vel unitas Miniſtri neceſſaria ad omnes unctiones faciendas, & ſic ſi plures eam faciunt, nihil faciunt, probatur etiam de ſecundo, nam ſecundus æquè ungeret, ac verba proferret, ut primus, ergo faceret, ut primus, quarè ſi primus verum conficit ſacramentum, etiam ſecundus. Deindè non videtur par ratio de Euchariſtia, & Ordine ex una parte, & hujus ſacramenti ex altera, quia nec ſecundus Sacerdos tenetur cõſecrare hoſtiam, ſed tantùm calicem in defectu prioris, ſiquidem hoſtia ſupponitur ab illo conſecrata; nec ſecundus Epiſcopus debet iterare ſacramentum, conferendo poteſtatem in corpus Chriſti verum, quia illa à præcedenti Epiſcopo collata ſupponitur; at in propoſito extremæ ũctionis poteſt, & debet ſecundus Sacerdos repetere primam, vel alias unctiones ab alio Sacerdote factas, quia per illam, vel illas à primo Sacerdote adhibitas nihil omninò effectũ eſt, cùm hoc ſacramẽtum non conficiatur, niſi quinque unctionibus, & ſolùm in fine quintæ gratia hujus ſacramenti conferatur. Demùm ita ſe habet una unctio ad reliquas in hoc ſacramento, ſicut prima verba calicis, *Hic eſt calix*, ad reliqua ſubſequentia; ſed ſi quis protuliſſet tantùm hæc verba, ſecundus Sacerdos non tantùm verba ſubſequentia ſupplere deberet, quæ præcedens non protulit, ſed omnia etiam, quæ præcedens protulit; ergo ſi quis unam tantùm adhibuit unctionẽ, debent ſequens non tantùm reliquas ſupplere, quas præcedens non adhibuit, ſed etiam primam, quam adhibuit, nam eodem modo nihil per primam unctionem effectum eſt, ſicut per prima verba calicis.

135 Reſp. Brancatus noſter *diſp. 11. cit. ar. 9.* illud primum argumentum eſſe difficilè in omni Schola, etiam in doctrina cõmuni de ſacramento hoc miniſtrãdo ab uno, quia eadem eſt difficultas de pluribus, ac ſucceſſivis unctionibus, quæ ab uno tantùm fierent, vel enim omnes illæ formæ, & unctiones, quas unus facit, unum ſunt ſacramentum, vel quælibet particularis forma, & unctio peculiare facit ſacramentum; ſi dicitur ſecundum, ecce inconveniẽs, quod obiicitur in caſu de pluribus ungentibus; Si dicitur primum, ſequitur, quòd primæ unctiones non eſſent ſacramentales, quia non efficaces, nulla enim ex illis ſuum effectum produceret, atque adeò efficacia carerent. Ego tamen tantam difficultatem non video in allato argumento, & communis Scotiſtarum reſponſio etiam ab ipſo allata mihi videtur ſufficiens, quod ſicut in ſacrificio Miſſæ, & Euchariſtiæ licèt duæ concurrant conſecrationes, & duæ materiæ eſſentialiter diverſæ, tamen adhuc unum integraliter conſtituunt

ſacram., & ſic ſint duo ſacram. partialia; ita in propoſito noſtro licèt quælibet unctio ſit ſacram. & veluti quoddam partiale ſacram. quia nempè quælibet unctio cum ſua particulari forma habet jam integram, & perfectam ſignificationem in ſuo gradu; omnes tamen ſimul ſivè ab uno, ſivè à pluribus factæ, ſivè eodem tempore, ſivè ſucceſſivè unum tantùm efficiunt ſacram. unitate integritatis, ut jam explicatum eſt ſuprà q. 3. art. 2. Neq; ex hoc, quòd quælibet ſit ſingulare ſacramentum, ſequitur illud inconveniens, quòd primę unctiones non eſſent ſacramentales, quia non eſſent efficaces, cùm nulla ex illis ſuum producat effectum, ſed tantùm ultima unctio. Non ſequitur, inquam, quia juxtà noſtram ſententiam ſingulæ unctiones ſuum partiales conferunt effectum, licèt effectus totalis, & adæquatus hujus ſacramenti non habeatur, niſi in fine quintæ; Et quando etiam juxtà aliam ſententiam nullus effectus gratiæ ſacramentalis per præcedentes unctiones produceretur; adhuc tamen dici debent ſacramentales, quia per ipſas ſacramentum jam eſt inchoatum per propriam partialem materiam, & formam cujuſcumque deberent etiam dici ſuo modo efficaces, quia quamvis non ſtatim dicantur habere effectum, ſed expectentur ſubſequentes unctiones, & habeatur effectus in fine quintæ; nihilominùs cùm talis effectus non habeatur, niſi in virtute præcedentium, ideò etiam illæ præcedentes dici debent ſuo modo efficaces, & ſacramentales.

136 Ad aliud argumentum negatur, non valere paritatẽ aſſumptam de Euchar. & Ordine, eo quòd in propoſito extremæ unctionis debet ſecundus Sacerdos repetere priores unctiones ab alio Sacerdote factas; quia per illas nihil omninò effectum eſt; hoc enim, ut modò dicebamus, omninò falſum eſt in ſentẽtia noſtra, quia ſingulæ unctiones proprium producunt effectum ſacramentalem partialem, & quando etiam per unctiones præcedentes à priori Sacerdote factas nullus talis eſſet productus effectus; quia tamen per ipſas inchoatum eſt ſacramentum, & quælibet unctio cum ſua particulari forma habet jam integram, & perfectam ſignificationem in ſuo gradu; ideò priores illæ unctiones à ſecundo Sacerdote repeti non debent, ſed ſufficit, quòd ſequentes ſuppleat, ut in fine omnium totus habeatur effectus. Ad ultimum negatur aſſumptum, non enim eſt par ratio de primis verbis Calicis, & de pręcedẽtibus Unctionibus à priori Sacerdote jam factis, quia illa prima verba non ſunt integra forma partialis conſecrationis calicis, ſicut una unctio cum ſua propria forma eſt integra pars ſacramenti nec illa prima verba calicis habent ſuam integram partialem ſignificationem, ſicut unctiones præcedentes, undè noſter caſus valdè differt ab eo, quo Miniſter non totam aliquam particularem formam pronunciaſſet, ſed tantùm partem, quia ſic non fuiſſet completa verborum ſignificatio, & ideò alius Miniſter deberet ex integro talem formam pronunciare ſimul cum exhibitione materiæ.

137 Sed rurſus dices, quando plures unctiones fiunt ab uno, tunc eſſe unum ſacramentum, quia tunc determinatio unitatis habetur ex intentione Miniſtri volentis, per plures illas unctiones unum tantùm facere ſacramentum, quod dici nequit de unctionibus illis factis à pluribus Miniſtris, ſivè ſimul, ſivè ſucceſſivè.

Reſp. unitatem ſacramenti minimè à pluralitate Miniſtrorum impediri, ut patet in ſacramento Euchariſtiæ, & Baptiſmi, ſi enim plures Sacerdotes ſuper eandem panis materiam verba proferrent conſecrationis, validè conſecrarent, & non niſi unum ſacramentum conficerent, & ſi plures Miniſtri eundem infantem abluerent, eandem formam ſimul proferendo, unum, & eundem baptiſmum conficerent, ut ſuo loco dictum eſt; ſic igitur dicendum eſt in propoſito, ſi plures ungerent, quia ſinguli in tali caſu aliam intentionem non haberent, quàm faciendi idem ſacramentum, quod per eas plures unctiones fieri poteſt, & quia ex inſtitutione illarum unctionum eſt, ut unum faciant ſacramentum unitate integritatis, ideò ſivè illæ omnes ab uno tantùm Miniſtro fiant, ſivè à pluribus ſemper facient unum integrale ſacramentum, & præſertim hoc ſacramentum & præſertim hoc ſacramentum non neceſſariò requirit unitatem Miniſtri, quia plures habet partiales materias, & formas, quarum ſingulæ habent ſuam integram, & perfectam partialem ſignificationem per ordinem ad ſuum partialem effectum, quamvis à pluribus proferantur.

138 Sextò tandem, & ſi validè poſſint duo Sacerdotes ſimul hoc ſacramentum conficere, modo jam explicato, haud tamẽ poſſent licitè, cùm ſit contrà univerſalẽ Eccleſiæ praxim, à qua ſine urgente neceſſitate non licet recedere, undè ſaltem ex obligatione præcepti unicus debet eſſe Miniſter, qui totum hoc ſacram. in unoquoq; infirmo perficiat, nec per ſe licere ſecluſa neceſſitate plures ſacerdotes concurrere, qui per partes illud præſtarent; Nec obſtat locus Jacobi dicẽtis in plurali, *Inducat Præsbyteros Eccleſiæ*, ſenſus enim eſt, inducat Presbyteros, hoc eſt, aliquem ex Pręsbyteris, ut uſus Eccleſiæ indicat, & patet à ſimili ex illo Matthæi 27. ubi dicitur, latrones improperaſſe Chriſtum, ideſt, unum ex latronibus, conſtat enim, duos tantùm latrones cum Chriſto fuiſſe crucifixos, & unum duntaxat improperaſſe, ut patet Lucæ 23. Duplex autem caſus neceſſitatis aſſignari ſolet, in quibus licèt hoc ſacramentum à pluribus ſacerdotibus miniſtrari; unus eſt, ſi periculum foret, ne antequam omnes quinque unctiones ab uno ſacerdote abſolverẽtur, infirmus deficeret, alter vero ſi ſacerdos, v. g. facta una, aut duabus unctionibus moreretur, vel ad talem ſtatum reduceretur, in quo non poſſet aliàs unctiones perficere, & proſequi, tunc enim aliæ unctiones ab alio ſacerdote fieri deberent, & quidem in primo caſu unctiones à pluribus deberent fieri ſimul, ſi enim rationabiliter timeatur, ne moriatur infirmus, antequam omnes unctiones perfectæ fuerint, potuerunt tunc plures ſacerdotes ſimul, & ſemel hoc ſacram. adminiſtrare, itaut unus ſacerdos, v. g. ungat oculos, proferendo formam partialem, & alter ſimul ungat aures, proferendo formã tali ſenſui propriam: in ſecundo autem caſu, quando nimirùm neceſſitas provenit, non ex parte ægroti, ſed ex parte ſacerdotis miniſtrãtis, unctiones deberent fieri ſucceſſivè, quia alię unctiones poſteriores deberent perfici ab alio ſacerdote. Sed quamvis hoc totum ſit ſatis probabiliter dictum, nihilominùs cùm à communi Eccleſiæ praxi, & conſuetudine ſine urgenti neceſſitate non ſit recedendum, ut dictũ eſt, puto, conſultius eſſe, quòd in primo caſu unicus Sacerdos quinque peragat unctiones ſub hac unica forma. *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimã miſericordiam remittat tibi Deus, quicquid per viſum, auditum, olfactum, guſtum, & tactum peccaſti*, imo in caſu neceſſitatis unicam etiam ſufficere unctionem, in quacumq; corporis parte fiat, & ſub una tantùm forma omnes corporis ſenſus exprimente jam diximus ſuprà *q. 3. a. 1. n.* 49. idq; non ſolùm ab Univerſitate Lovanienſis approbatum fuiſſe, ſed etiam à Paſtoralibus, Mechlinienſi, & Paſſavienſi ibidem citatis.

ARTICULUS SECUNDUS.

De obligatione Miniſtri ad hoc ſacramentum miniſtrandum.

139 DUplex hujus ſacram. Miniſter diſtingui ſolet, unus, cui ex officio incumbit, ut ſunt Epiſcopi, Parochi, Superiores Religionum erga ſuos ſubditos; alter in defectũ proprii Miniſtri, ac Paſtoris, ut ſunt omnes ſacerdotes, etiã curã animarum non habentes, & de utroq; Miniſtro hic eſt agendũ; Et quidem loquẽdo de Miniſtro, cui ex officio incumbit, & curam animarum habente, cõmunis eſt Doct. ſententia, teneri ex juſtitia, & ſub pręcepto ad mortale obligante ſubditis ſuis hoc ſacr. adminiſtrare tempore opportuno per ſe, vel per alium; quod expreſsè docet Catechiſmus Rom. de hoc ſacr. 9. ubi ait, graviſſimè peccare non tantùm qui hoc ſacr. miniſtrare negligunt, ſed etiim qui non opportuno tempore, quando ægrotus eſt ſui compos nõ adminiſtrant. Et ratio eſt, quia Paſtores ex officio tenentur ſuis ſubditis adminiſtrare ſacram. non ſolùm neceſſaria, ſed etiam multùm conducentia eorum ſaluti, & præcipua remedia, quæ Chriſtus inſtituit pro bono ſpirituali fidelium, ſed unum ex illis remediis eſt adminiſtratio ſacram. extremæ unctionis; ergo tenentur Paſtores illud ſuis ſubditis ſuo tempore adminiſtrare. Neq; in hoc Prælati Religionum à Parochis diſcriminari debent, ut aliqui faciunt dicentes, quòd licèt ſinguli ſuis ſubditis ex præcepto hoc ſacram. miniſtrare teneantur; non tamen eodem modo, quia Parochi tenentur ex juſtitia, Prælati verò Religionum ex ſola charitate, cujus diſcriminis rationem aſſignant, quoniam illi ad hoc miniſtrandum mercedem, & ſtipendium à ſuis ſubditis accipiunt, non autem iſti. Non, inquam, in hoc diſcriminari debent, nam etiam Prælati Religionum ad id ex juſtitia tenentur, ut Suar. advertit *diſp. 44. ſeſſ. 3.* & Amic. *diſp. 19. ſeſſ.* 2. quia hi Prælati, dùm tale munus ſuſcipiunt, loco Parochorum, vel Epiſcoporum reſpectu ſuorum Subditorum conſtituuntur, atque ideò totam illam obligationem contrahunt; Tùm quia non minùs illorum ſubditi, quàm iſtorum, proprium jus habent exigendi, & petendi hoc ſacr. ab illis, alioquin Regulares quoad hoc pejoris eſſent conditionis, quàm ſæculares, & Laici. Tùm tandem quia licèt Pręlati Religionum à ſuis ſubditis pecuniam, & materiale ſtipendium non accipiant, obſequium tamen obedientiæ, & reverentiæ recipiunt, quod eſt altioris ordinis pecuniarum ſtipendio; omnes ergo Paſtores tenentur, non ſolùm ex charitate, ſed etiam ex juſtitia, & in hoc reliquis Sacerdotibus præferri debent.

140 Sed fortè Dices, Parochum non teneri ad adminiſtrandum ovibus omnia, quę ſunt utilia, & conducẽtia ad ſalutẽ, ſed tantùm neceſſaria, ſi enim ad omnia media utilia, & conducentia Parochus teneretur, intollerabile eſſet ejus onus, cõtinuò enim deberet prædicare, catecheſes exercere, populos nõ ſolùm ad pręcepta, ſed etiã ad cõſilia inceſſanter hortari, & alia omnia facere, ex quibus populorum ſalus ſecuriùs, & commodiùs ſtabilitur, hoc autem ſacramẽtum non eſt ad ſalutem neceſſarium, ſed tantùm utile, ut dictũ eſt, & ita ex noſtris diſcurrere videtur Branc. *diſp. 11. a. 10. l. c.*

Reſp. cum Suar. loc. cit. falſum eſſe antecedens univerſaliter ſumptum, quamvis enim non teneatur Parochus ex præcepto, & obligatione rigoroſa omnia media utilia ad ſubditorum arbitriũ miniſtrare, nam utique hoc intollerabile onus cenſeri deberet; falſum tamen eſt, ſolùm teneri ad neceſſaria media miniſtranda, nã id etiã verteret in magnum fidelium detrimentum, & contra debitum Paſtoris munus; ſiquidem ita ad hoc munus obeundum dignitatẽ Paſtoralem accipit, & à ſubditis ſtipendia, ut teneatur eis ordinaria remedia miniſtrare, quæ Chriſtus pro omnibus fidelibus reliquit,

& quæ ſunt ordinario Eccl. uſu,quando opportuno tempore, & ſecundum rectam rationem petuntur,unum autem ex his eſt ſacr. extremæ unctionis in gravi infirmitate applicatum,ut patet ex ſuperiùs dictis. Undè allata ratio ad ſummū convincere poteſt, non teneri Parochum cum evidenti periculo vitæ hoc ſacram. miniſtrare, ut poſtea dicemus,& in hoc ſenſu adducitur à Branc. *l. c.* ſed citrà tale periculum minimè probat, quin Parochi ad hoc teneantur ex officio,& conſequenter graviter peccent,ſi illud negent,aut notabiliter differant cum morali periculo infirmi.

141 De Miniſtro autē, qui ſuccedit in defectū proprii Paſtoris in caſu neceſſitatis,cōmunis etiā opinio docet, teneri ad hoc ſacr. miniſtrandum ſaltem ex motivo charitatis, quia neceſſitas ęgrotātis poteſt exiſtimari gravis;ergo ſi Parochus nō adeſt, qui tale miniſteriū exercere poſſit,& abſq;magna difficultate, & incommodo poteſt Sacerdos ſubvenire proximi neceſſitati, profectò tenetur. Difficultas tamē eſt an teneatur ſub mortali ex pręcepto charitatis hoc ſacr. miniſtrare,quādo ab infirmo petitur,vel ſolùm ſub veniali;Primum videntur affirmare Suar.*l.c.*& Averſa,ſecundū verò Coninch.Layman, Diana, Amicus, & alii, omnes tamen conveniunt, in caſu gravis indigentiæ teneri ſub mortali,talis autē caſus eſſet, ſi aliàs ſine ullo alio ſacr. infirmus eſſet moriturus,quia tunc mortis æternæ periculo exponeretur,ſi hoc ſacr. non ſuſciperet, quod quilibet ſub peccato mortali à proximo tenetur avertere; undè in tali caſu dicunt,ſimplicem Sacerdotem etiam ab infirmo nō petitū teneri ex pręcepto charitatis hoc ſacram. adminiſtrare, ſi abſit alius, qui illud conferre non poſſit; extrà vero hunc caſum,quando nempè infirmus aliud ſuſcepit ſacr. nimirùm Pœnitentiæ, & Euchar. quia tunc moribundus non cenſetur hoc ſacram. graviter indigere,Auctores citati putant, præfatum Sacerdotem,qui hoc ſacram. miniſtrare nollet, ſolùm venialiter peccaturum, quatenus contrà charitatem eſt proximo tantùm bonum ſine ulla juſta cauſa denegare,præſertim quando id facere poteſt ſine magna difficultate, & incommodo, & hæc opinio ſolet probabilior cenſeri.

142 Sed major adhuc eſt difficultas, An tempore peſtis teneatur Parochus cum periculo vitæ hoc ſacramentū adminiſtrare. Affirmant Nugnus, & Silvius apud Dianam *tract.4.de ſacram. reſ.* 174. Gabriel, & Joannes Echius apud Suarez *l.c.* in quam ſententiam ipſe quoque fatetur,aliquando valdè propenſum fuiſſe. Fundamentum eſt,quia Parochus non ſolùm ex charitate, ſed etiam ex juſtitia tenetur hoc ſacramentum ſuis ſubditis adminiſtrare; ergo hæc obligatio urget etiam tempore peſtis,& cum periculo vitæ. Conſequentia patet, quia aliquid ampliùs tenetur Parochus in eo caſu, quàm alius,qui non eſt Parochus,ſed reliqui Sacerdotes tenentur, quando ſaltem non eſt periculum vitæ, hoc ſacramentum moribūdis adminiſtrare; ergo Parochi tenentur etiam cum periculo vitæ. Tùm ſecūdò,quia Parochus ex juſtitia tenetur ſuis ſubditis ſacr. miniſtrare; ergo maximè tempore neceſſitatis, nam in ordine ad hoc tempus præcipuè ſtipendia accipit à ſubditis, interceditque inter ipſum, & ſubditos virtualis quædam conventio, ut hoc potiſſimùm tēpore ſpiritualibus alimentis non deſerantur. Tùm tertiò, quia alias tempore peſtis totus populus eſſet deſtitutus Miniſtris, qui ex obligatione teneantur hoc ſacram. miniſtrare, quod abſurdum videtur, & contrà commune bonum. Tùm quartò,quia Parochus ex juſtitia tenetur ſacram. ſuis ſubditis miniſtrare,quoties illi petiverint; ergo etiamſi illa petant tempore peſtis, tenetur ea conferre. Tùm quia quintò nā Duces Militares ex officio tenētur pro Republica vitam exponere, & præſertim in caſu neceſſitatis; ergo à fortiori Duces ſpirituales pro ovibus ſibi commiſſis, eo præſertim tempore, quo ſpiritualis pugna maximè contrà eas exercetur, miniſtrando eis ſacram. unctionis, quod opportuniſſimum eſt ad ſuperandas illius temporis tentationes. Tùm tandem, quia ex oppoſita ſententia ſequeretur, neque Parochum in periculo vitæ teneri miniſtrare moribundo ſacram. Euch. quia neque hoc eſt neceſſarium ad ſalutem, ad quam ſufficit ſacramentum Pœnitentię; Imò neque hoc etiam eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, quia ad eam ſufficit contritio cum voto tantùm ſuſcipiendi ſacramentum Pœnitentiæ, quando dabitur commoditas.

143 Secunda ſententia negat, quam vocat Amicus *diſp.* 19. *ſeſſ.* 13. communem inter Theologos, & Summiſtas, & docent Armilla, Tabiena, Suarez, Filliucius, Diana, & alii, quorum unicum fūdamentum eſt, quia hoc ſacramentum non eſt ad ſalutem neceſſarium,neque neceſſitate medii, ut Baptiſmus,& Pœnitentiæ, neque neceſſitate præcepti,ut Euch. quod fundamentum magis ampliat, & declarat Brancatus noſter loc. cit. quoniam hæc obligatio non inſurgit neq; ex motivo officii Parochialis,ſeù juſtitiæ neq;ex motivo charitatis; non ex primo, quia juſtitia non exigit à Parochos ut faciat circa ſubditos,niſi quæ ſunt eis neceſſaria ad ſalutem,non autem ea,quæ ſunt maximè utilia, & conducentia, ſeù conferunt ad melius, ſacramentum autem extremæ unctionis non eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutē, ſed tantùm utile ſuſcipienti,ut citiùs & ſine tanto incōmodo gloriam ingrediatur; ergo ex juſtitia cum tali periculo non tenetur, majorem probat,quia ſi ad omnia media utilia,& conducentia Parochus teneretur, inſopportabile eſſet ejus onus, continuò enim deberet prædicare, & exercitia ſpiritualia facere,ut ſuprà diſcurrebamus. Neque ad id tenetur ex ſecundo motivo,ſcilicet, Charitatis, licet enim quis teneatur vitam corporalē poſtponere pro ſpirituali propria,& proximi, nō tamē pro aliquo commodo,aut utilitate,quę nō eſt vita ſpiritualis,ita autem ſe habet commodum,quod de extrema unctione percipitur,nō enim eſt vita, quia per extremam unctionem nō datur prima gratia, ſed eſt remotio impedimenti de citò fruendo, quod quidē impedimentū per alia etiam media poteſt removeri; probat antecedens, nullus enim tenetur cum periculo vitæ ſuſcipere Euchariſtiam, Confirmationem, vel extremam unctionem, nam Deus cum tanto onere non obligat ad ea,quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis ſimpliciter, ergo neq;Parochus habens curam aliorū ad id tenetur, magis cùm obligat Charitas alicujus erga ſeipſum, quàm circà proximum.

144 Verùm quia affirmare abſolutè cum prima ſententia tēpore peſtis teneri Parochū hoc ſacr. infirmis miniſtrare cum periculo vitæ,eſt nimis rigoroſum & id abſolutè negare cum ſecunda ſententia eſt nimis laxum: ideò media ſententia inter iſtas extremas mihi ſtatuenda videtur,& dicendum, quòd vel infirmus confeſſus fuit in infirmitate, aut paulò antè,& probabiliter ex ſtatu ipſius conſtat, eū poſteà non peccaſſe mortaliter, & in tali caſu Parochū nō teneri ad exponendum ſe periculo vitę,ut ipſi hoc ſacr. adminiſtret, quia in tali caſu probabiliter exiſtimari debet,quòd ſit in ſtatu gratiæ, & quòd non ſit ipſi neceſſarium hoc ſacram. quamvis enim ſit utile,hoc tamen non convincit,ut teneatur Parochus ſub mortali, & cum probabili vitæ periculo hoc ſacram. miniſtrare, certum enim videtur, quòd quis non teneatur pro utilitate ſpirituali proximi exponere ſe periculo vitę, ſi aliàs ſufficiēter proviſum eſt ejus ſaluti ſpirituali,& hoc dūtaxat probat ratio adducta pro ſecūda ſentētia.

145 Si verò non ſit confeſſus,aut poſt confeſſionem veriſimile ſit, ipſum mortaliter peccaſſe, & ſit in ſtatu, in quo ampliùs confiteri non poſſit,nec antè confeſſionem petierit,videtur dicendum, quòd teneatur ſub mortali tale ſacramētum adminiſtrare etiam cum periculo vitæ, quia tunc hoc ſacramentum debet exiſtimari eſſe ipſi neceſſarium,ut dimittatur ipſi ſaltem per accidens peccatū mortale, ſupponitur enim communiter, quòd ſacram. hoc habeat talem virtutem, modò infirmus habeat ſaltem attritionem de peccatis, ſic enim mediante hoc ſacram. fiet de attrito contritus, & hoc ſolùm probant rationes pro prima ſententia adductæ, & docuit Adrianus dubio octavo de Confeſſione ad ult. ubi dicit, quòd quoties dubitatur veriſimiliter de ſalute æterna proximi, intervenit obligatio prędicta ſub mortali etiam cum periculo vitæ,quia tenemur temporalia contemnere pro ſalute ſpirituali proximi,non ſolùm quando non poteſt aliter ſalvari, ſed etiam quando veriſimiliter aliter non ſalvabitur,aut probabile dubium eſt, an ſine illo medio ſalvabitur,& ratio eſt,quia vita temporalis,& corporalis eſt bonum inferioris ordinis cōparatione ſpiritualis vitę gregis,propter quod dixit Chriſtus Jo. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*,quo teſtimonio ad hanc veritatem probandam utitur D. Auguſtinus *ſer.* 50. de verbis Domini, & *ſer.* 139. de tempore; ergo in caſu propoſito tenetur Parochus ſub mortali etiā cum periculo vitæ hoc ſacram. ægrotanti adminiſtrare, tàm ex motivo juſtitiæ, quàm Charitatis, & hanc ſententiam quoque ex Recentioribus docent duo Pariſienſes Iſambertus diſp. 8. art. 1. & Abellius in ſua Medulla Theologica *cap. 6. de ſacramento extremę unctionis ſect. 4. in fine*, ubi dicunt,quod quamvis infirmus morbo contagioſo laboraret,nec poſſet illi ſacramentum hoc,niſi cum vitę periculo adminiſtrari,ſi proprius ejus Sacerdos aliter ei ſubvenire non poſſit, quàm extremam unctionem illi conferendo, teneretur etiam cum certiſſimo vitæ periculo hanc illi adminiſtrare, niſi alius Sacerdos ejus vices ſuppleat: Addunt nihilominus, quòd ſi moraliter certus ſit de bona ejus diſpoſitione quod ea, quę ſalutem animæ reſpiciunt, puta, quia nuperrimè Pœnitentiæ,& Euchariſtiæ ſacramenta illi adminiſtravit, tunc non teneri ſaltem ſub peccato mortali extremam unctionem illi adminiſtrare.

146 Ex qua doctrina facilè ſolvuntur rationes utriuſque ſententiæ; Ad primam primæ dicendum eſt,probare tantùm, quòd Parochus tenetur ſub mortali, & cùm periculo vitę hoc ſacramentum infirmis adminiſtrare in caſu à nobis propoſito, non verò extrà illum. Ad 2, concedendum eſt,Parochum ſimpliciter,& abſolutè loquendo teneri etiam cum morali vitæ periculo tempore neceſſitatis ſuis ſubditis ſacramenta miniſtrare,ſed illa tantùm, quę ſunt ad ſalutem neceſſaria, ut ſunt Baptiſmus, Confeſſio, & Euchariſtia, quæ ſaltē eſt ſub præcepto divino,& de his tantùm ſimpliciter, & abſolutè adminiſtrandis etiam cum periculo vitæ intervenire virtuale pactum inter Parochum,& ſuos Subditos, non tamen ſimpliciter,& abſolutè tenetur miniſtrare cum periculo vitę ſacramenta, quæ ſunt utilia tantùm,& non per ſe neceſſaria, qualis eſt extrema unctio;ſed tantùm in caſu à nobis propoſito, quia tūc per accidens fit neceſſaria,cùm per aliud ſacr. infirm. indigentię ſubveniri non poſſit. Ad 3. negatur conſequentia, quia Parochi tempore peſtis tenentur etiam cum periculo vitę hoc ſacram. infirmis adminiſtrare,in caſu jam explicato, quod ſufficit ad eorum neceſſitatem ſublevandam. Ad 4. negatur cōſequentia univerſaliter deducta de omnibus ſacram. etenim Superior ſolùm cum periculo vitæ tenetur

ſuis ſubditis ſubvenire per ſacramenta ad ſalutem neceſſaria, non autem utilia tantùm,niſi in caſu propoſito, in quo fiunt per accidens neceſſaria. Ad 4. paritas in hoc tenet,quòd ſicut Dux militare tenetur cum periculo vitæ ad ſubveniendum Reipublicæ, quādo eſt in gravi,ac probabili periculo alicujus ruinę,gravis,non autē quando publicum bonum non eſt in periculo gravis ruinę;ita etiā ſpirituales Duces tenentur cum periculo vitæ ſuis ovibus ſubvenire per hoc ſacramentum,quando ſunt in probabili periculo ęternę damnationis,quod contingere nequit,niſi in caſu propoſito, quod non potuerint ſuſcipere ſacramenta ad ſalutem neceſſaria antecedenter,qualia ſunt Pęnitentia,& Euchariſtia,quorum unum eſt neceſſarium neceſſitate medii,aliud verò neceſſitate præcepti. Ad 6. quamvis non deſint concedentes,Parochū non teneri ad ſacramentum Euchariſtiæ infirmis miniſtrādum cum periculo vitæ; præſtat negare paritatem de ſacramento Euchariſtiæ,& unctionis extremę nam illud ſaltem ſub præcepto divino eſt neceſſarium, non autem iſtud. De ſacramento autem Confeſſionis omninò negandum eſt, Parochum non teneri ad illud miniſtrandum tempore neceſſitatis, etiam cum periculo vitæ;cùm hoc ſacramentum non ſit ſolùm neceſſarium neceſſitate præcepti,ſicut ſacramentum Euchariſtiæ,ſed etiam neceſſitate medii, cùm ſit per ſe inſtitutum ad primam gratiam conferendam, quæ eſt medium ad ſalutem neceſſarium,& ſine quo regulariter loquendo,& de potentia ordinaria nulli contingit ſalus; Et licèt ſola contritio cum voto confeſſionis ſufficere poſſit deficiente copia Confeſſarii, quia tamen difficile eſt actum contritionis elicere,ſi infirmus hoc ſacramēto privaretur, cenſeretur moraliter eſſe in periculo ſalutis. Concedi tamen poteſt adhuc cum aliquibus, poſſe in aliquo caſu Parochum etiam à ſacramento confeſſionis adminiſtrando tempore neceſſitatis excuſari, ſi eſſet moraliter certus de bono ſtatu infirmi, & ex alia parte magnū eſſet vitæ periculum; nam tunc non cenſetur infirmus verſari in ſalutis periculo, in quo tantùm cum morali vitæ periculo tenentur Superiores ſacramenta ad ſalutem neceſſaria ſuis ſubditis miniſtrare; ita prudenter advertunt Suarez *l.c.nu.*15.& Amicus *nu.*207.

147 Ad Fundamentum ſecundæ ſententię dicendum eſt,rationem illam probare ſolùm primam partem noſtrę aſſertionis, ut dictum eſt *n.*154. non autem,quòd Parochus non teneatur etiam cum periculo vitæ ſacramentum extremæ unctionis infirmo miniſtrare in caſu à nobis propoſito *nu.*145. quia tunc hoc ſacramentum non tātùm utile,ſed etiam neceſſarium ad ejus ſalutem ſaltem per accidens exiſtimari debet, ut dimittatur ei per accidens peccatū mortale,in quo probabiliter eſſe cenſetur,nec aliud ſupereſt remedium præter ſolam contritionem, quam humana fragilitas ſatis difficulter elicere poteſt,præſertim in illo agone;quarè cum moraliter cēſeatur infirmus in periculo ſalutis verſari,ſi hoc ſacramento privetur,tenetur Parochus etiam ex juſtitia, & officio illud miniſtrare, ut ſaltem eo mediante fiat de attrito contritus; Tenetur etiam ad id ex motivo charitatis, quia in eo caſu per extremam unctionem non tantùm removentur impedimenta, quæ gloriæ frutionem retardant,ſed etiā vita ſpiritualis infirmo datur,qui in peccato mortali probabiliter ſupponebatur, faciendo ipſum de attrito contritum nam in tali caſu ſaltem per accidens per hoc ſacramētum prima gratia datur, accedente diſpoſitione congrua, & bona fide ſuſcipientis, ut dictum eſt ſuperiùs *qu.* 4. *a.*1.*nu.*71. in caſu nimirùm quod aliquis repentè ſenſibus deſtitutus nullum confeſſionis ſigum præbuiſſet, quo poſſet abſolvi, & hoc ſolo remedio poſſet juvari quod etiam approbant Averſa q. 64. de ſacramentis in genere ſect,7.ubi tractat, qualibet teneantur animarum Paſtores, aliique Miniſtri ad Sacramenta miniſtranda, & hæc de Sacramento unctionis extremæ dicta ſufficiant.

DISPUTATIO SEPTIMA

DE MATRIMONII SACRAMENTO.

QUÆSTIO PRIMA.

De eſſentia, & Inſtitutione Matrimonii.

1 HOc Matrimonii nomine intelligitur legitima viri,& mulieris conjunctio, individuam vitę ſocietatem cōtinens ut docet Cat. Romanus p.2.c.8. vocaturque non ſolùm Matrimonium,ſed etiam Conjugium, Connubium,Nuptiæ, licèt autem Matrimonium ſit viri,& mulieris indiſſolubilis conjunctio dicitur tamen potiùs Matrimonium à Matre, quàm Patrimonium à Patre,quia ut notavit Gregorius IX.*cap.litteris* de Conn. Infidel. Matri maximè incumbit officium nutriendæ prolis,etenim infans dùm eſt in Matris utero,ejus ſanguine menſtruo nutritur, & poſt nativitatem nutritur lacte Matris, & poſtquam eſt ablactatus, adhuc per magnum temporis ſpatium magis incubit officiū nutriendi,& educandi ipſum Matri,quàm Patri,è contrà verò, quia in acquiſitione poſſeſſionis bonorum principalior eſt Pater, quàm Mater, ideò talis bonorum poſſeſſio potiùs dicitur Patrimoniū, quàm Matrimonium; Vocatur etiam Coniugium eo,quòd virum,& mulierum ſub uno,eodemque quaſi mutuo jugo ad fidem ſervandam, & onera matrimonii ſuſtinenda conſtituat. Dicitur tandem Connubium, & Nuptiæ, eo quòd Virgines in matrimonium tradendæ in ſignum pudoris, ac etiam ſubjectionis erga virum velo quodam ſe operire ſolebant,& quaſi nube tegi, ut S. Ambroſius refert *lib.* 1. *de Abraham c.* 9. Matrimonium autem licitum eſſe, ac honeſtum contrà quoſdam Hæreticos in pluribus Conciliis eſt definitum Grangenſi *c.*11.*can.*9. Branc. *can.* 11. Tolet. primo, & aliis,expreſsè enim id docuit Ap. 1. Cor. 7. *Qui Matrimonio jungit Virginem ſuam, benè facit, & ſi nupſerit Virgo, non peccabit*, & ad Heb. 13. appellatur,*honorabile coniugium, & thorus immaculatus*, imò Scotus noſter *4.d.26.q.un.*per plures concluſiones fusè demonſtrat,nedùm ex revelatis,ſed etiam ex naturalibus matrimonium, etiam ut à ſacramento præſcindit, eſſe actum licitum,& honeſtum, quia nimirùm eſt medium proportionatum ad finem per ſe bonum, & honeſtum, ſcilicet, ad filiorum procreationem, & generis humani propagationem eo modo, quo decet humanam naturam, ut magis in ſequentibus explicabitur *art.*2.*n.*19.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid ſit matrimonium, & in quo eſſentialiter conſiſtat.

2 PRo reſolutione quæſiti notat Doct. *l.c.ſub l.O.verſ.de quinta con.* tria in Matrimonio diſtingui debere, ſeù matrimoniū tripliciter ſumi poſſe,Primò pro vinculo,inter conjuges,quod conſiſtit in relatione mutuę obligationis,ſeù dominii,& ſervitutis qua hinc indè corpora traduntur in poteſtatem in ordine ad finem contractus,quæ relatio eſt moralis,ſeù rationis materialiter,& permanens. Secundò ſumitur matrimonium pro ipſo contractu in fieri,ex quo manat vinculum illud,tanquam ejus effectus,& conſiſtit in actione illa tranſeunti contrahendi inter conjuges,undè matrimonium in ſecundo modo ſumptum ſe habet ad matrimonium primo modo dictum, ſicut cauſa in fieri, quemadmodū generatio ad paternitatem,potiùs ſicut baptizari,& ordinari ad characterem Tertiò tandem ſumitur pro ſacramento,ſeù ſigno ſenſibili cauſāte gratiam,& eſt ſimiliter in fieri,& ſimul eſt,& nō eſt cum matrimonio ſecundo modo ſumpto,ideòque non ſemper manet,nec in aliquo permanenti conſiſtit; Addit autem Doct. acceptionem hujus vocis Matrimonii eſſe ęquivocam, ſi ponatur æquè primò illa importare,ſed hoc minimè aſſerendum eſſe,ſed potiùs dicendū,quòd hoc nomen abſolutè prolatum directè, & principaliter ſignificat primum,hoc eſt,vinculum ipſum jam explicatum in recto,alia vero duo,non niſi ut connotata,& in obliquo,itaut pro ſecūdo dicatur contractus matrimonii,& pro tertio ſacramentū matrimonii, ubi non eſt conſtructio intranſitiva,ſed tranſitiva,& hęc acceptio Matrimonii,itaut abſolutè prolatū ſupponat pro vinculo permanenti inter conjuges, conformior eſt modo loquendi Canonū, & Conc. undè Trid. ſumit matrimoniū pro ipſo vinculo in c. doctrinali,& *c.*1.*de reform.matr.ſeſſ.*24 *& ſeq.* & etiā communiter Doct. dicunt,matrimoniū conſiſtere eſſentialiter in vinculo: Quia tamen cōmuni modo loquedi matrimonii nomen ad illa tria ſignificāda extendi ſolet,ideò quādo quæritur,quid ſit Matrimoniū,& in quo ejus ratio formalis cōſiſtat,ſeù definitio,melius eſt declarare priùs de quo matrim. ſit ſermo, ſeù in qua acceptione, an ſcil. de matrimonio,quod eſt contractus civilis tātùm,an de eo, quod etiam eſt ſacr. ac tandem de illo, quod eſt vinculum ex contractu ortum; quarè ad rem magis declarandam aſſignat Doct. três Matrimonii definitiones juxtà triplicem ejus acceptionem jam declaratam.

3 Primò itaque definit Matrimonium,ut ſupponit pro vinculo hoc modo. Matrimonium *eſt vinculum indiſſolubile inter marem, & fæminam ex mutua translatione poteſtatis corporum ſuorum in ſe invicem facta ad procreandam prolem debitè educandam*, quę definitio optima eſt,quia datur per cauſam formalē, dùm dicitur *vinculum indiſſolubile*,per materialē, dùm dicitur *inter marem, & fœminam*,per efficientem,dùm dicitur *ex mutua translatione*,& tandē per finalem,dùm additur *ad procreandam prolem*, ideòque eſt exacta,& completa definitio,veluti data per omnia quatuor cauſarum genera. Itaque eſſentia matrimonii, ut eſt quid permanens,conſiſtit in vinculo illo perpetuæ obligationis,ſeù juris dominii mutui inter marem,& fœminam, quod ex contractu tranſlationis ortum eſt, & mutua corporum traditione, undè quando dicimus eſſentiam matrimonii hoc modo ſumpti conſiſtere in ratione vinculi, idem eſt ac dicere,quod conſiſtit in ratione perpetui juris utriuſq; conjugis in alterutrum, quod vice verſa in utroque perpetuam

Meld. in Quart. Sentent.